TRES CAPELLÆ

Siue

ADMONITIO AD IOSEPHVM IVSTVM BVRDONEM, IVLIJ CÆS. BVRDONIS F. BENEDICTI BVRDONIS N.

ANNO partæ salutis

M. DC. VIII.

MARTIALIS LIB. VI.

IN POSTVMVM.

Non de vi, neq; cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto:
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas Mithridaticumq; bellum
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Marioſq;, Mucioſq;
Magna voce ſonas, manuq; tota.
Iam dic, Poſtume, de tribus capellis.

Tres

TRES CAPELLAE,

Siue

ADMONITIO AD IOSEPHVM IVSTVM BVRDONEM, IVLII CÆS. BVRDONIS F. BENEDICTI BVRDONIS' N.

IAm inter duos quosdam orta abhinc anno est, amice lector, nõ de tribus capellis, sed de Canibus tribus, quibus Magno, Furenti, Segnorio nomina fuêre. Eos Canes ad suam pertinere familiam quidam Illustrissimus iamdudum voce, calamo palàm contendit. Negat id verò alius vir quispiam Illustris, eosq; ab illo liberali causa asserere insistit manu. Ænigma hoc quidem esse, inquies, æquè vt illud Sphyngis obscurum & perplexabile: tum autem Dauum esse te, non Oedipum. Dicam igitur idem planius, & hoc tibi ἀινιγματῶδες & inuolutum euoluam. Annus hic, nì fallor, quartus agitur, cùm Iosephus, *de se sic creditur ipsi*, Scaliger epistolam fecit ad V. N. Ianum Duzam, qua in epistola petito inde vsq; ab vltimis Scaligeris, Veronensibus primum Patricijs', postea verò etiam Principibus, initio, gentis illius ac familię seriem,

ad Wilhelmum vſq; Groſſum, eiuſq; filios Brunorum & Antonium, per longas mendaciorum ambages deduxit. Duobus verò hiſce fratribus (pari atq; in libris audacia ſolet pro veris ac genuinis ſua, hoc eſt, aliena ac ſpuria lectoribus obtrudere) tres fratres germanos inaudito vel ſcelere vel furore iuit ereptum, Frignanũ, inquam, Nicodemum Epiſcopum Friſingenſem, & Bartholomæum: atq; in vicem illorum, quò ſibi aditũ ſcilicet advetuſtiſſimam nobiliſſimamq; familiam muniret, in eamq; ſe penitus, ſui patris veſtigia ſecutus, inſinuaret, ſuffecit ipſe, atq; interſit Nicolaum quendam cognomẽto Pium: exq; hoc nãtos cõfinxit Benedictũ, Bonifacium, alios: Benedictum autem ex Berenice Lodronia Comite ſuſcepiſſe Titum & Iulium Cęſarem; ex Iulio ſemet ſecundo cœlo ſideribuſq; procreatum eſſe. Hæc quidem Ioſephi oratio: quæ & pictæ tectorio linguæ cõmendata, & aura quadã præiudicati fauoris terras circũ oẽs vndiq; vecta benignas nimio pluriũ facileſq; tum in Batauis, tũ alijs in locis aures reperit, imbutas iã antè ex libris Iulij Cæſaris Scaligeri hauſto errore, reliquias ipſos Danaûm eſſe, atq; immitis Fati, quo Scaligera quondam domus icta concidit. Ergo igitur Ioſephus noſter elatus repentè, ac velut in currum à Fortuna impoſitus auratum, VICTOR ac TRIVMPHATOR Inuidiæ pariter atq; Fati audire cœpit ab ijs, qui vanitati ipſius mendacia ſua cõmodantes, vtrẽ magis magis inflare, viliſſima alienæ velamentiæ vel ſtultitiæ mancipia, ſuſtinuerunt: cùm quidem alius aliunde ſucclamantes, Illuſtriſſimum illum, heroem incomparabilem, Facem Batauum patriæq; *& quidquid lucida Phœbi Lampas anhelanti perluſtrat luminis igne,*

ſplen-

ſplendore ſuo excedentem: dijs deniq; per omnia quã hominibus ſimiliorem, timidiſſimis aſſentationibus, tantum non arâ publicitus poſita, flexoq; poplite⌣, ac dextra ad os relata, ceu præſens numen venerabundi ſalutarent.

Sed profectò verum eſt vulgi verbum negantis, Durare ſimulata. Cùm enim ille albis, vt aiunt, quadrigis per compita, perq; vias ſublimis vehitur⌣; ecce tibi ab Heſperia fulmen totis viribus contortum in hunc Salmoneum aduolat, eumq; tum maximè lætis ſucceſſibus exultantem faceſq; Tartareis accenſas in fornacibus, atq; ab amica Tiſyphone ſubminiſtratas in Deum atq; homines impia manu iactantem, curru excuſſum humi affligit. Etenim vir illuſtris Gaſpar Scioppius, pro ſua egregia in Deum pietate, & aduerſus omnes bonos amore, non ferendam ratus vltrà incircumciſi illius, maledicentis exercitui Dei viuentis; cum incredibili rerum omnium bonarum ignoratione coniunctam audaciam, quò furorem illius in ſuum & aliorum exitium ruentis comprimeret, librum vulgauit anno proximo ſuperiore, in quo detractâ huic improbiſſimo ſycophantæ perſona, fecit, vt pro Illuſtriſſimo Ioſepho Iuſto Scaligero, Iulij Cæſ. F. exiret mox non ſine ingenti riſu irriſuq; omnium quotquot ſpectatum accurrerant, Mendaciſſimus Ioſephus Iuſtus Burdo, Iulij Cæſaris Burdonis mali corui malum ouum.

Atq; equidem putabam fore, vt ſe ille fractum & abiectum ſentiens, ſupercilium poneret, intraq; ſuam ſe pelliculam colligens, quod Serario dedit conſilium aliquando, Errores hoc eſt, mendacia ſua non defenſione, ſed diſſimulatione occultaret. Quid enim pro

causa, quæ tot esset literis ac tabulis, priuatis & publicis totq; & tam manifestis, ijsq; validissimis rationum momentis pessum data, tot deniq; Veri ipsius mucronibus confossa, quid, inquam, diceret? aut quam latebram suis illis prodigiosissimis mendacijs inueniret? Quis autem hõi illi, per quidquid est Deorum in cœlo, deieranti, posthac crederet? Neq; tamen hæc cogitanti mihi, non etiam illud occurrebat, Esse Iosephum non solum ad fraudes & fallacias componendas ingenio natum egregio, sed etiam ad producendas, atq; oculis, auribusque omnium ingerendas quas feciſſet domi fabulas, audacia singulari: tum autem, quod meminissem illum in Mart. Ant. Deliriũ, Nicolaum Serarium, & alios nonnullos furenter admodum debacchatũ esse in rebus multò, ipsius quidem iudicio, leuioribus, facilè inducebam in animum, vt nequaquã illum rem hanc tantã silentio transmissurum crederem. Qui enim posset? ille vt Iosephum Burdonem se esse confiteretur? Ille, vt auum suum Benedictum Scrutarium fuisse agnosceret? Ille, vt Illustrissimi titulum, tanta ambitione ipsi delatum, ac totiam annis audacissimè vsurpatum, sic subitò de manibus excuti sibi sineret? Cœlo se ille profectò æquius carere, quam Scaligeri nomẽ de picatissimis sibi vnguibus reglutinari pateretur. Quippe illi Superi curæ! & non hoc omne, quod cœlum ac Deus dicitur, ridet vt inania verba! Exspectabam igitur apologiam ab eo longã, latam, trecentis succinctam Canibus, ipso deniq; dignã. Sed ea diu nulla venit. Quod equidem mirabar: vt qui sciré hominem, vbi fœcundum pectus concussisset, ad instar Lucilij Horatiani, vno in pede stanté sæpe ducentos versus euomere solitũ tabo, sanie, vene-

venenis oĩbus ſtillantes. Quid ergo? dicebam, quid eſt? ſuo ille ſilentio ꝓdet causã? Vicerit autem Scioppius? & *victum tendere palmas*

Auſonÿ videant Burdonem? Nunquã erit hoc. Sed aut ego illius ignoro ingenium, aut hoc eius ſilentiũ ingentẽ molẽ irarum ex alto animo cientis indicium eſt. Sic ego mecum, *Cum ſubitò affertur nuncius horribilis*, Ioſephum Iuſtum Scaligerum Iulij Cæſ. Comitis de Burden F. habere librũ affectũ iam ac propè abſolutũ, quẽ illis Sciopij ſacerrimis chartis opponat, ſuiſq; in eo depictũ coloribus hõiem Europæq; Aſiæq; ſpectandũ proponat. Hẽ! ſic datur. Inũc, & Scaligeros canes laceſſe. Verũ n. ne quid præcipitet ille (nã & facilè concitatur, *Et ſemel accenſæ non fortiter imperat iræ*) neúe dũ id vnum ſpectat modò, vt aduerſarium lædat, intectum ei latus præbeat: age, Lector, ei ſuppetias eamus, & conſilio, re, opera, auxilio deniq; iuuemus virum innocẽtem ingenti oppreſſum calumnia. Atq; adeo, quid vetat, quo minus nunc iſthoc puncto tẽporis, quomodo ſæpè ſolent poëtæ ſpectatores ſuos modò Thebis, modo ponere Athenis, nos quoq; ipſos putemus Lugduni Batauorum ſtare propter virum,

Cui chorus aſſurgit Phœbi, cui doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.
Iuliade, magni vis & ſublimis imago
Cæſaris, ingenÿq; ingens, decoriſq; paterni
Poſtuma lux, conſorſq; animæ melioris ab alto
Magne ſenex, ſalue. O poëtarũ diſertiſſime, tun' eras Heynſi? excipit ille, equidẽ haud te notauerã mihi intrãtẽ, totus in hoc, quẽ nõ neſcis, lib. vt illũ Dij Deęq; oẽs, &c. q. hanc mihi ſcribendi neceſſitatẽ inuitiſſimo impo-

impoſuit: Hæc ſimul, & ſimul Heynſium ſalutaturus exſurgit. At vbi pro illo vno & vnico ſuo duos conſpicit ignota facie, turbari viſus eſt nonnihil primulùm, mox tamẽ ſumpto animo, Qui vos, inquit, mi hoſpites, quibus aut veniſtis ab oris? Amici, inquam ego, & tui cupientes adſumus. Sic reor: nam facere amicos poterat vos mihi virtus mea, quâ dudum eſſe feror

Notus & Eois, notus & Heſperijs. Quanquam extitit hinc quidam pronuper, qui inuſitata mentiendi flagrans libidine, Solem hunc, quia lucem eripere ei oẽm non [illegible] quiuit, ſaltem vt inducta nube tegeret, nil intẽtatum, nil liquit inauſum. Quem ego, ſi viuo. ſed præſtat. Tum ego: ſi bene conijcio, inquam, Illuſtri hæc Scioppio tu cantas! Atque ille,

Illuſtre nomen deſpuens, quid ni cantem? inquit. Enim dic, bona fide, ſi vidiſti ſacrum illum impuri nebulonis librum, quid vnquam poſt natas litteras à quoquã ſcriptum eſt in liberum hominem inclementius, inciuilius, ne dicam imanius & crudelius? O litteræ! vti meſtrum ſæpè miſeret pigetq; ! Quas enim priſci illi virtutis, iſti malignitatis habent miniſtras. Ego, quò & natura mea pacis ac quietis amans iamdudum me vocabat, & quod hæc capitis, quam vides, albitudo poſtulabat non modo, ſed etiam flagitabat; abdere me in otium cogitabam: cùm ecce incurrit in me, quis iſte? & inuitum, ſuperos ac ſidera teſtor, iterum me ad prælia cogit. Sanè apparet, inquã, futurum hoc non tralaticium bellum. Quanquam metuo valde, ne numine haud tuo arma capſis, Ioſephe. Ille etenim integer adhuc æui, quantus

In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam expertus

tus scire potes. Tibi, vt cetera sint paria, aut etiam meliora *effœtæ frigent in corpore vires*. Et nos tela pater, &c. scis, puto, quod sequitur. Et quis vnquam in certamen descendit nobiscum, quin victus turpiter discesserit? Verum narras, atq; hinc illud, credo, natum est. Quis Polydamas ausit illum Hectorẽ? Sed iam dic, oramus, si fortè non molestum est, quid ad ista tot mendacia, quæ Illustris ille impingit tibi, respondebis? Quid? nisi vt eadem, atq; altera tanta in illum regeram, atque os ei batuam sculponeis probè. Ad illud autem palmarium, vbi negat te Iosephum Scaligerum esse Iulij Cæs. Scaligerj F, quid habes dicere? Quid habeam rogas? Quid, per Deum immortalem, plenius, quid vberius, quàm mihi & pro me, & contra Scioppium dicere? Sed rẽ in pauca conferã. Aio ego, me Iosephum Scaligerum esse: negat ille. Vtri credas? Breuiter tu quidem, & acutè. Sed ego, qui meus est stupor, totum istud vestrũ non intelligo. Quid n.? si dicã, Scioppio me credere? Tu illi? caue, si sapis, eĩ quicquã credas. Quidni credam? aut dic tu, cur magè tibi me credere est æquum quàm illi? *Quia* enim *Illustrissimi nos sumus*. Audio. Illustris autem Scioppius. Tu *quòd solus honorã*

Post patrem sis lucis apex hoc est, interprete Heynsio, Tu quia Nobilitas tibi tota tua es-- sol cluis scilicet. Illum autem Illustris appellatione & titulo mactum, sororem dici tuam, Lunam, quæ tandẽ inuidia est? *Regibus, Principibus, & proceribus noti sumus*. At ille notus est Pontifici, cui Reges in ipsos & Principes imperium est. Litterarum amantissimi sumus.

Neq; ille non amat profectò litteras,
Sed litteratas litteras.

At aullularius ille est, vnctas sequiturq; culinas: *Nos ab omni ambitione & inuidia remoti sumus.* Negat id verò se credere Scioppius. Et certè mẽdacium id tuum posuit CD XCIX. Sed tu id non meministi, fortè an nec curasti legere. Moneri te igitur à me subinde patieris æquo animo, tua maximè causa. Nam quid dicas, quid nec dicas, tua vnius maximè interest. Neq; autem vereor, ne si exerrãtem alicubi te, aut ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πκδῶντα lacinia præhensum in viam coner atq; in gradum restituere, ea re tu mihi succenseas. Quin debere te mihi vltrò fatebere, si rectè monentem audies. Qui enim monet, vt vetus est verbum, quasi adiuuat. Etsi ego, refert ille, monitoris nil egeo, & tu nimis, hercle, quàm importunus monitor videris esse futurus; dic tamen, qua in re monendus tibi videor? Dicam equidem: in eo scilicet, quòd adhuc nihil quidquam video esse abs te dictũ, cur vel ego, vel Ceuuienus pro Scaligeris teq; tuumq; patrem habere debeamus. Itáne tandem? nihil esse dictum? Quid ergò illa tam longa epistola ad V. N. Ianum Duzam egimus aliud, nisi vt à Scaligeris ortos esse nos clarius demonstraremus,

Quam solis esse radij, olim cùm sudum est, solent?

Non tu illic Wilhelmum Grossum legisti Scaligerũ? legi. Etiam Nicolaum Pium? etiam. Quid Benedictum? & hunc. Atqui ille meus auus est. Quid nunc? quid restat? Quæram & ego, quod pace tua fiat, ex te pauca. Non tu vidisti, quæ ad illum epistolæ tuæ locum scripsit amicus tuus Scioppius? Quæ debuit is, qui in Priapeia commentarium scripsit. Satin' hoc planè? etiam plus satis. Sed de isto commentario mox. nunc quod te rogo, respondе. Nicolaus ille Pius abauus

abauus tuus. At mihi nunc non vacat. Quis autem huc te adduxit? Egomet me. Sed de Nicolao nimis audire velim. Atqui ex me hodie non audies. Das ergo fidem, cras auditurum? Hospes, dico tibi: aut tace, aut abi. Quin tu potius de Nicolao dicis aliquid? Ego abeo. Et ego tecum. ---- *certum est enim mihi,*

Quasi vmbra, quoquo ibis tu, te persequi.

Atque audin' etiam? de commentario quod iecisti, quid huc facit? Plurimum. nam & illi quod reponam habeo pro illis Iambis, quos tantoperè exagitat: & quòd quibus præditum moribus oporteat esse eum, qui illa scribat, quæ nisi qui ipsius similis sit, legere velit nemo, inde constare omnibus liquidò potest. At vide, quàm te fallat ratio, Iosephe! Etenim si quæreretur inter vos, vter vir sit melior; tum tu aliquid dicere demum videri posses: sed cùm de vita atque scriptis vtriusque vestrum nunc quidem nulla quæstio sit, atq; id solùm agatur, vt tu te Iosephum Scaligerum, non Burdonem esse doceas; nonnè tu ridiculus sis, qui de allijs roganti Scioppio decepis respondeas? Sed neq; illud cogitas, quam vis callidam istam tergiuersationem tuam fugæ persimilem fore? Quin tu igitur si me audis, etsi in te Martis

vena vlla paterni Viuit adhuc,

paribus accingeris armis? hoc est, prolatis tabulis, libris, & literis Regum, Principum, ac ciuitatum, ostendis vera esse omnia ea, quæ tuus pater, quæq; tu ipse

Nil patre degenerans -- de maioribus vestris Scaligeris & nunc nuper, & olim scripsistis.

Vna salus hæc est: hoc est tibi per vincendum.

Sin tu autẽ cum aurato enſe theatrũ ineas, atq́; illam purpuræ tuæ lucem oculis noſtris ingeras, & ſubnixisalis, *Vnum magnificè ad quodq́ ſcreans ſpatium*, vetus iſtud tuum accinas.

Aſt ô venuſta mater, ô parens ſalue,
O mea creatrix, voſq́ ritè maiorum
Saluete manes. Ille ego, nepos veſter,
Pila atq́ curſus ludicrumq́ Fortunæ,

Noli mirari, ſi aliquis vnus è turba, vel etiã hic meus lector, aurem tibi vellat, & ſublatiſſima voce,

Tempus dicere de tribus Capellis, iterumq; iterumq́; ingeminet: eatq́; cuneos vox illa per omnes, De trib⁹ Capellis. Sudabis tũ tu, ſat ſcio: καὶ τοῦτο δὴ τοῦ λόγου χαυεῖν σοι τὴν γῆν optabis *Sed riſum ſpiſſæ tollent impunè coronæ.*

Verum ad cõmentarium vt redeamus. Imò tu illuc redi, vnde malũ pedẽ tuliſti. Quid mihi n. eſt tecũ negotij? Aduocatus tu, hercle, Scioppio veniſti: nõ mihi, q, aiebas, monitor. Atqui, ne erres, ego neq; aduocationẽ præbere Scioppio veni, neq; ille mea opera ad innocentiæ ſuæ cõmendationẽ vti fortaſsè velit. Sed de Cõmentario ſi tibi, Joſephe, Scioppius hoc dicat: ſcripſi, fateor, cõmentariũ in Priapeia: ſed iuuenis, ſed exẽplo tuo inuitatus. Atq; nollẽ id factum. Et, ſi fas dicere: ſed fas. cum illa ſcribebam,

Optarem nullas tunc habuiſſe manus.

Quid hoc autem, Burdo, dic, tua fide, ad rẽ attinet? Num tu idcirco Scaligerũ te eſſe euinces, quia Scioppius neſcio q̃d ineptiarum ꝑ ludum atq; iocũ adoleſcẽs olim chartis illeuit, q, nunc æui conſilijq́; maturior, vero vultu *damnat & odit opus?* Aut tu Burdonis filius dehinc iã nõ eris, q̃a ille ſcriptionum generis eiuſce iamdudum

dudum desijt? Si tibi ille hoc dicat, inquã: aut etiã verbis sacri & diserti Antistitis te istis conueniat? Quid tu hæretice dimittis causam, & is ad hominẽ? Vituperas mala mea præterita, quid magnũ facis! seuerior sũ ego in malo meo, audin' Iosephe? quã tu: ꝙ tu vituperasti, ego damnaui. Vtinã velles imitari (sed tu noles: neq; n. potes esse dissimilis tui) vtinã tñ velles imitari, vt error tuus fieret aliqñ præteritus. Hoc igitur tibi si dicat ille, non te elinguẽ ꝓtinus, & Burdonẽ efficiat? Quid si autẽ dicat hoc Scioppius tibi, ꝙ dixit iam alijs priùs? Non scripsi. Scripsit ea vero, certè vulgauit *quidã, quẽ dicere nolo,* quia tu illũ ignorare non potes. Iusto Lipsio τῷ μακαρίτῃ ꝙs illã infamiæ notã inurere tentauit, qua de questus ipse epistola ad Senat. Francofordiensem? Sodalis hic fuit illius.

Morbosi pariter, gemelli vt riq;
Vno in ludulo erudituli ambo,
Non hic, quàm ille minùs bonis nocere.

Sed nimis multa de commentario. Dic tu magis

Illustrissime, de tribus capellis.

Dic, inquã, de ipso te, de patre, de auo, tuis; sed ea dic, q̃ necesse est, quæq́; nisi dicis, nil agis nisi loquendo laceras diẽ. Dic igitur, sed & argumentis doce, & planũ fac.

Vt quiuis sentiat, & videat, auum tuum Benedictum, Scaligerum, non ludimagistrum, scrutariũ, miniatorẽ fuisse: patrẽ tuum Iulium Cæs. Scaligerum. non Burdonẽ fuisse: te ipsum Iosephum Iustum Iulij Cæs. F. Benedicti N. Scaligerum, non Burdonẽ esse. ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Quis es tu autẽ, impudens, qui leges mihi tã audacter ponis? ac me ad arbitriũ tuum dicere postulas! Nõ vllas equidẽ tibi ego pono leges dicendi, sed ab Illustri

Scioppio iã antè positas, ne eas tu aut non visas, aut oblitas tibi dicas posteà, repono. Quid? tu igit̃ in ludũ ire me ad Scioppiũ equũ censes? Nõ pugno equidé atq; ecce *Cincticulo præcinctus in sella apud magistrũ assideo.* Sed turpis ꝑfectò, & q̃uis ridicula res est e le métarius senex. Scioppius ergo dicédi mihi fines & terminos circũdet? Ad hoc reseruatus sũ, vt à Scioppio docear? Ille in meo negotio plus sapiat, aut capiat, quã ego? scil. is, cum suum lib. il lũ scriberet vllas q̃ aut honesti leges seruauit? etenim cedò pagellã vnã modò, in qua nõ aut maledicentissimé cõuicietur mihi, aut suas ipse virtutes plenis faucibus, supra oés, quos vlla nouit comœdia Thrasones & Pyrgopolinices p̃dicet. Quin etiã scire nos voluit nouus Stoæ veteris Atlas, cuiusmodi mensã sibi, cũ domi cœnat, ponere soleat. Atq; amplius, de morte, & ijs quæ post mortẽ, homo sanctus quodã loco ad cirũfusũ capillatorum gregẽ ꝺisserit. Iures, illa cùm legis, præficã audire te scisso capillo canéte mortuo næniã. Hæc ꝑpter, atq; alia talia nõ vapulet Scioppius? Et tu propter exorbitationes tuas istas tã crebras nõ vapules? Quin redis in viã de semita. Tu aũt, Lector, q̃d cessas? Inclama Burdoné & q̃m p õt, fac vt domũ eũ deducas suã. Eho! quò tu nr̃ læuus abis? quousq; causæ aliena loqueris? o mitte nugalia, &

Iam dic, dic age, de tribus capellis.

Iteradum eadem altiore voce, nam audire dissimulat.

Iam dic, dic age, de tribus capellis.

Ego n. verò & dixi multa modo, & dicã, quæ Scioppiũ, atq; adeo vos duo, & oés inuisores meos amplius vrant. Potes tu dicere, q̃ lubet, dũ ne extra oleas. Sin autẽ; capiã ego ꝑfectò stimulum mihi in manum, q̃ latus tibi vsq; & vsq; fodiam. Agnosco enim vnà tecum & ego morbum

bum memoriæ tuæ. Quo me impensius est æquum curare, ne vsquã vllo in tẽpore aut loco desim tibi. Quid igitur vis dicã? Num hoc potius, vt omninò ne dicam: sed feram tacitus istam tam insignitam iniuriam, &

Inultus vt fleam puer?

Imo, quæ iniustè ille in me dixit, iustè à me tibi dici audiat. Critica nra solicitat? frustra. Iãdudum n. Dijs hõibusq; fauentibus tenemus, & tenebimus hoc regnum. Atq; ille neq; te Critico detrudere regno nec hærentẽ capiti multa cum laude coronã tibi detrahere se postulat: neq; id agit, vt ne tu Critic⁹ sed ne Scaliger deinceps audias. Nolit, siue velit me ille Scaligerum esse, ero qui adhuc fui. Tibi verò: miror scarabæi istius heri aut nupadmodũ è fimeto nescio quo euoluti pastillos sic allubescere vt si eos muneri tibi misisset-- *multi diues odoris Arabs.* Vt video ad ingeniũ tu redis, quò doceas verum esse illud, q, in extrema tua epistola scripsisti ad Ianum Duzã Nõ possumus esse dissimiles nostri: ad scarabæos inquã, & fimeta cõfugis notas tibi latebras. Bonasus, credo, te, Plinij an Aristot.? ita pugnare docuit. Sic decet semper aliquã re bona auctioré à libris discedere. Sed tibi ego hoc dico, hercle, seriò: Abstine his talibus. Nã quæ sunt cunq; generis eiusce verba, hanc causã nõ perorabunt. Et quia cauto mihi opus est, ne si tevltrà monere pergã isto oleto tuo ipse quoq; aspergar; en abeo, rediturus, cum opera mea denuò tibi opus esse cognôro. Tu ter maxime Scaliger (licea tn. mihi te verbis Acidalij cõpellare auro tibi contra non charis) qualecunq; hoc ingenij nostri libamentum oblatum DIVINITATI eruditionis omni genere tuę, quam pronus ADORO, non spernes, & agnoscere dignaberis ad ARAM TVI GENII prostratum inter alios hunc deuotissimũ cultorem: cui tuum si propitium NVMEN erit, Apollinem aut Musas iratas nullus extimescam.

Quid

Quid tu autẽ, lector, nunc istic mugmare? Quid accidit? Deũ imortalẽ! quid ego audio? Ter maxime Scaliger. Diuinitati tuæ. Quã pronus adoro. ad arã tui Genij. cui tuum si propitium numen, &c. Quem tu mihi, hominum vanissime, τρισμέγιστον? quã diuinitatẽ? quã aram? quod numen prædicas? Iusta tua quidẽ indignatio, Lector (nã hæc talia profectò Iosepho pusillum illud, quod suus ipsi furor fecerat reliquũ, sensus atque mentis excussẽrunt) sed tñ vereor, ne sera & infructuosa sit. Quin hoc agimus potius, & quẽadmodum isti oẽs huiusce tẽporũ & literarũ Dionysij parasiti ὁμοθυμαδὸν in vnum id iurasse vieentur, vt verum ei uunquã dicãt, ita nos hunc Eunianum pauum, fictum, inquã, & pictũ hunc Scaligerũ, pedes vt respiciat suos, & genus & proauos illic quærat, monemus, illudq; auriculis ipsius instillamus, *quod cœlo descendit*, γνῶθι σεαυτόν,

Quare cùm hoc, atq; similia horum legis aut audis, Ter maxime Scaliger, illustriss. Scaliger, fax publica cunctis exoriens, vltima rerum spes, εὐχὴ ἀνάκτων, ὦ ἄνα. &c. tu istud accinere nil dubita:

Dic Burdo, non iam Scaliger
Illustrissime, de tribus capellis:
Dic ter maxime de tribus capellis:
Dic fax publica de tribus capellis:
Dic spes vltima de tribus capellis:
Dic ὦ *dic* ἄνα *de tribus capellis.*

H606
.3748m
1985